


36d

37
Ba

George Frederic
de Boortel

+



1. de remediis reorum contumaciam coact.
contibz. R. I. Brunneemann. F. Hordoff.
12. de actione hypothecaria. R. I. Brunneemann.
R. F. Roth.
13. de materia simulatorum contractuum. R. Id.
R. T. Lindholtz.
4. de processu summario. R. Id. R. A. Mengerling.
5. de Appellationibus. R. I. B. Charisig. R. D. Beck.
6. de liquido debito. I. Brunneemann. R. A. Mengerling.
7. de iustitia pure et aequitate. A. Gruve. R. S. Fischer.
8. de iudicis eorum partibus, eorum foro com-
petenti. R. F. von Lehna. P. P. Salomon.
9. de actionem in heredes transitione. R. Id.
R. I. C. Neander.
10. ad L. Civitas 27 de R. C. R. I. Brunneemann. R.
I. Charisig.
11. aliquot juris controversi decisiones R. Idem.
R. P. Pericke. et 17. 16.
12. de transactionibus. R. Decker h. A. von
Ocken.
13. de pignoratitia actione vel contra. R. Idem.
R. D. Koots.
14. de crimine laesae Magistatus divinae et hu-
manae. R. I. B. Charisius
I. F. Riefmeyer.

15. de successione feudali. Decher. R.
 16. ~~etiam~~ ^{Warwitz} controversi juris deusione, pae no 11.
 17. ad L. contractu 23. §. de R. I. Decher.
 R. I. Biddeman.
 18. de collectis subditorum extraordinariis.
 R. C. Lademann. R. I. G. Rabeneq.
 19. de iustitia. R. M. Loulety. R. G. B. Lehman.
 20. de venditione facta ad corpus et ad
 mensuram. R. Brunnenmann. R. F. Meier.
 21. de transmissione juris in heredes. R. P. I. Wolf.
 R. D. Schröder.
 22. de iure tutorum. R. Decher. R. C. Krebs.
 23. de Imperatore Romano Germanico. F. a
 Lehna. R. G. F. a Born.
 24. de Torneamentis Germanorum. R. I. B.
 Parisij. R. A. G. a Schlieben.
 25. de iuribus quae vulgo re-
 galia maiora vocant. F. a Lehna. R. I. B.
 von Kösthan.
 26. de officio rerum pub. generalibus.
 R. M. M. Klepperwein. R. A. G. a Schlieben.
 27. de publicis iudiciis. J. Decher. R. M. Nicolai.
 28. de mutatione in rebus publicis causis et
 remediis. M. M. Klepperwein. R. M. de
 Schlieben.

29. de Consiliariis Pr. M. V. Cuger. R. Hartmann

30. } ^{1^{ma}} sistens propositus politici - J. M. Blenig

31. Collegii } ^{2^{da}} de societate in genere - J. Hanno

32. politici } ^{3^{ta}} de societate nuptiali, paterna et civili - F. A. Gla-

33. disputa } ^{4^{ta}} de familia, pago, et civitate - J. M. -

34. } ^{5^{ta}} de republica - R. S. Braunschweig (J. E. Frebe-

35. } ^{6^{ta}} de Majestate. R. G. F. a Kalchun. nitz.

36. Pentas 2^{da} quaestionum pneumaticarum. Pr. S. Scultety. T. Reinhardy.

37. de vita Romuli. M. A. Waldovig et M. Zobe.



3.
RESOLUTIONES INAUGURALES
JURIDICÆ
Super

MATERIA SIMULATORUM CONTRACTUUM,

Ad Titul. Cod. plus valere quod agitur, quam quod simulatè, l. 4. §. si ab ignotò ff. de manumis. l. nuda ff. de Contrab. empt. l. imaginaria ff. de R. J. l. simulata Nuptia ff. de rit. Nupt. l. Emptor. ff. de Aquâ plu. arcend. l. Empti fides C. de Contrab. Empt. c. ad nostram 5. X. de Empt. c. illo vos 4. X. de pign. ac similibus.

Quas,
DIVINA AUXILIANTE CLEMENTIA,

Decretò & Auctoritate

*Magnifici atq; Amplissimi Actorum Ordinis
Alma Viadrina*

SUB PRÆSIDIO

Spectatissimi, Excellentissimi atq; Consultissimi VIRI

DN. JOHANNIS BRUNNEMANNI, J. U.

D. Cod. Iust. P.P. Facultatis Juridicæ p. t. DECANI,

Affinis, Promotoris ac Compatri sui ætatem
devenetandi.

Pro gradu ac Privilegiis Doctoratûs in utroq; Jure so-
lenniter obtinendis publico Eruditorum Examine
discutiendas subicit

TOBIAS Lindholß COLONIENS. MARCHIC.

Camer. Elector. quæ est Coloniae Advocatus &
Academiae hujus Syndicus.

*In Auditorio Juridico horis ante & pomeridianis
ad diem XXVII. Apr.*

Typis NICOLAI KOCHI, Academ. Typogr.

Anno M. DC. LII.



PRO O E M I U M.

Rusticum sive Agricola quondam
Aeneas Sylvius beatiorem predicabat Coe-
teris, quod inter alia forum vitaret & li-
tigaturientium jurgia, *Epist. 91.* eò nimi-
rum tendens, quod lite catere sit pars be-
atae vitae mortalis, *Pet. Gregor. Tholos. lib. 40. Syntagma*
cap. 11. num. 3. & BONI VIRI, qui lites detestetur & con-
temnat, *l. apud Celsum. §. si quis de Except. dol.* Sed quod
nunc tales Viri? Seculum tantummodò hoc paulisper
vide, *Lips. Epistol. 8. cent. 1.* quo noxae integritas, contu-
meliae pudor ludibrio fides, litigio est omnis contra-
ctus & actus, imò tumultuum, rixarum, controversia-
rum, litium, discordiarum plena sunt omnia. *Everb.*
à Beyhe in med. de glor. hum. pag. 14. nec solùm provin-
ciae, sed etiam Civitates, & quod deplorandum, Nostra,
proh dolor! & multae in hac Civium domus opinionum
disidiis atq; litigiis inter se conflictantur. *Reinking. de*
regim. secul. & Eccles. lib. 1. Clasf. 2. c. 9. num. 10. atq; hoc
inter alia propter simulationem malitiosi atq; exulcera-
ti nostri seculi detestandam, quò omne fere factum est
simulatum, quo simulamus probitatem, simulamus sci-
entiam, simulamus justitiam, quibus ut veritatis ratio-
nem opponerem, hæc me movit causa, cur ex simula-
tionis hæc materia disputationem inauguralem conscri-
pserim, & Eam publico Eruditorum Examine ventilan-
dam exposuerim, sit ergo cum BONO DEO

De
Defi-
nitio-
ne si-
mula-
tionis

RESOLUTIO I.

Definitur Simulatio & simulatus Contractus, quod sit quædam falsitatis imago, [veri contractus superficiem, non autem medullam habens.

Quam definitionem amplectuntur *Alexand. Trentacingv. lib. 1. resol. tit. de simulat. num. 1. Dominic. Cardinal. Tuschus tom. 7. Pract. Conclus. 257. num. 1. lit. S. Ernest. Cothman. volum. 1. respons. 18. num. 34. & seqq.* & propter hanc fictionem, quæ contractus fingitur, revera tamen non est, coloratus, figuratus & depictus, extrinsecus aliquid ostendens, intrinsecus nihil continens dicitur per *L. ab Anastas. C. mandat. Mantie. de tac. & amb. convent. lib. 13. tit. 35. num. 3. Trentacingv. d. loc. Cothm. alleg. volum. & respons. num. 36. & 37.* nec aliter absq; consensu, qui anima est contractus, quàm Corpus sine Spiritu, umbra sine effectu describitur, *Castrensis in l. si quis pro Eo, num. 5. ff. de fidejussor.*

De
Divisi-
one.

RESOLUTIO II.

Varias Juris Doctores Simulationis constituunt divisiones: (a) Sed brevitati insistens, commodiùs discendi gratiâ Simulationem dividendo in nudam (b) & non nudam (c).

Sic varius est *Tuschus* in formandis simulationis speciebus dicitur *Conclus. 257. num. 6. ubi*

- I. Primam speciem ponit *n. 7.* quando celebratur simulatè unus contractus, & revera intenditur alius.
- II. Qui fit in veritate, sed ad modicum tempus suum habet durare *num. 10.*
- III. Quando contractus apparet factus, sed ex mente contrahentium agitur, ut nihil fiat *num. 11.* & eandem divis. habet *Matt. de afflict. in tit. feud. de feud. dato invicem legis commis. num. 11. juxta Edit. Lugd. de Anno 1560. Idem Tuschus dicit. Conclus. num. 18. cum Baldo lib. 1. cons. 249. n. 2. & lib. 5. cons. 396. n. 6. 3. simulatio- nis species ponit has.*

Quando

- I. Quando reverâ simulatur agi, & nihil agitur omninô ex intentione.
- II. Quando simulatur unus contractus, & alius celebratur;
- III. Quando Obligatio Ipsa non est simulata, sed simulatio est respectu personarum pluribus modis *num. 37.*

Et non minus simulati contractus divisionem in fictitium, imaginarium & simulatum approbat *Nicol. Mozz. de contract. in genere art. 4. à num. 41. usq; ad 46.* Sed distingvo simulationem in Nudam & non Nudam.

(b) Nuda est, quando Contrahentes nihil voluerunt verè contrahere, sed omnia simulatè agere, qui contractus nihil omninô operatur, sed perinde est, ac si ille actus simulatus factus non esset. *Tusch. Conclus. 257. num. 1.*

(c) Non Nuda, quando voluerunt partes aliquid agere, sed aliud, quàm præ se tulerunt; quo pacto contractus simulatus non valet, sed verus, quando consensu solò perficitur, qui necesse est, ut interveniat. *Bald. lib. 5. conf. 396. n. 6. Tusch. dict. Conclus. num. 7.* quæ duo membra quoad rem agnoscere videtur *Trentacinq; dict. lib. resolut. 1. num. 8.*

Simulationem non Nudam iterum subdistingvo, ut sit vel improbata à Jure, aut ob fraudem Legi vel tertio factam ut si contractum prohibitum vel imagine venditionis, aut cum id, quod verè agere voluerunt partes, pugnat cum substantiâ agendi negotii. V. G. cum dono inter Vivos simulatè, sed volo mortis causa donare, tunc iste contractus non valet, neq; ut donatio inter vivos, quia repugnat Voluntas, neq; ut donatio mortis causâ, quia repugnat facultas, cum hæc requirat ad sui substantiam quinque Testes per *l. ultim. C. de Donat. caus. mort. L. ult. C. de Codicill.*

Quando simulatio est nuda, sed vel non nuda quidem LL. tamen improbata, talis contractus est ipso Jure nullus, nec ullum habet effectum, nec ex traditione secutâ transfertur dominium & possessio. *L. nuda 55. § ibi Dd. ff. de Contrah. Emption. L. Emptor. ff. de Aqua pluv. arc.* ut dicitur in fine pluribus: Sed si non est nuda, tunc non quidem valet contractus, ut scil. præ se ferunt contrahentes *Tusch. Conclusion. 257. num. 1.*

valet tamen sicut actum est, modò ratione substantiæ Contractus aut nullius præjudicii valere ita possit. *Tusch. d. Conclus. 257. num. 34.*

*De
Fine.*

RESOLUTIO III.

Finem Simulationis duplicem formo, alium (a) non improbatum, alium (b) fraudulentum & improbatum in fraudem Legis (c) vel Hominis, (d) ut Fisci Creditorum vel alterius privati.

(a) ut quandò ab initiò contrahens verè non vult nominari, ne detegantur vires patrimonii, vel ne incurrat offensam alterius, vel ob alium finem nemini perniciosum & à Lege non improbatum arg. *l. quidam cum filiumfam. 46. ff. de hered. inst.* sed facit constare contractum in personam Amici sui bonâ fide & sine dolo vel fraude. *Tusch. Conclus. 257. num. 38. Bl. cons. 249. num. 2. ver. interdum nulla est simulatio lib. 1.* Et hæc est causa, remotio scil. omnis doli & fraudis, cur ex hõc contractu validè agatur, & acquiratur ei, pro quò revera contractus est celebratus, imò potest obtinere vel per viam actionis, vel officio Judicis, quod nomen inscriptum habeatur pro simulatè apposito *Tusch. d. Conclus. num. 39. Bl. Consil. 287. per totum lib. I.*

(b) quando v. g. supponitur alia persona ad fraudandum vel Legem, vel Creditores Fisci vel alterius cum dolo. *Tusch. Conclus. alleg. num. 41. 14. 20. 52.* Sic ex hoc contractu non agitur nec acquiritur quicquam tum propter falsitatem, tum propter fraudem intervenientem. Exempla passim obvia v. g. si pater spuriiis filiis, quibus donare prohibetur *l. 1. C. de Nat. lib. per interpositam personam donaverit, de quò casu Mantica d. lib. 13. tit. 37. n. 16. & seqq.* Quomodo simulatio in fraudem Legis vel hominis committatur vel allegetur, pluribus pertractat *Mantica dict. tit. 37. & duobus seqq.*

(c) committitur autem in Legem, vel simulatio allegatur in fraudem Legis, quando quis verba Legis amplectitur, & contra ipsius nititur voluntatem, ideoq; pœnam Legibus insertam non evitabit, qui se contra sententiam Legis fraudulenter excusat, ut ad Literam dicitur in *L. non dubium C. de Legib.* Nec minus

Nec minus ipsi committunt in Legem, qui vigorem Legis scrupulosis & excogitatis artibus eludere festinant. Exemplum hujus est, si quis in fraudem *Legis hęc Edictali C. de secund. Nupt.* aliquid machinetur per interpositam personam *d. l. hac edictali in fine princ.* Et tales contractus simulati in fraudem Legis facti sunt ipso Jure irriti *per l. si libertus 16. ff. de Jurepatron.* Vel si quis in fraudem usurarum legitimarum antichreticum vel emptionis contractum celebret *c. illo vos 4. X. de pign.* vel si sub persona Judæi majores stipulatur usuras: item si maritus Uxori donare velit per interpositam personam *l. si sponsus 5. pr. ff. de donat. inter Vir. & Uxor.*

(d) In fraudem hominis facta allegatur, quando interest agentis ut antea diximus fisci scil. vel alterius creditoris, quæ tamen alienatio potest revocari, *Tusch. Conclus. 257. num. 14. 20. & 52.* de quâ materiâ alibi ex professo tractatur.

RESOLUTIO IV.

De Efficiente. Simulatio fit & committitur à variis, præsertim verò fraudulentis, (a) qui ipsi simulatum contractum allegare nequeunt (b)

(a) fraudulentus enim contrahit, ut alius ex Eo, vel occasione ejus decipiatur, adeoque effectum suum, quem sibi proposuit sortiatur. *t. tit. ff. quæ in fraudem credit.* licet decepto possit subveniri actione revocatoria, ad revocandam & infringendam fraudem *d. t. t. ff. de his quæ in fraudem creditorum:* fraudulentus autem præsumitur cæteris paribus, si consuevit fraudulentos & simulatos celebrare contractus, ut infra dicitur fufius, item si quis delictum perpetraverit, quod confiscatione bonorum puniri solet, & delinquens omnia sua bona alicui donaverit, conditio hæc personæ cæteris paribus fraudulentum prodit animm. De quò *Mantica d. l. 13. tit. 39. per totum Menoch. lib. 3. præsumt 124.*

(b) Si causa est per se honesta, aut non improbata legibus potest quidem allegari simulatus contractus, si autem fraudulenta, non potest, quia nemo propriam turpitudinem allegans audiendus est *l. si servus 50. §. 1. de de Leg. 1. l. transactione 30. de*

30. de Transact. l. cum profitearis. 4. C. de Revoc. donat. Sicut nec hæres auditur defuncti turpitudinem allegans, l. filios 4. C. de Revocandis his qui in fraudem, nisi in fraudem Legis contractus celebratur, quia tunc ipso Jure est nullus l. si libertus 16. ff. de jure Patron. l. hoc modo 64. §. 1. ff. de condit. & demonstrat, cum nihil in ipsius fraudem fieri oporteat: Ergo quia contractus est nullus ipsò Jure, hæc nullitas à contrahente ipsò allegari potest. Ruinus cons. 125. n. 4. lib. 1. Mantica dicto tit. 37. n. 10. Jac. Schultes in Modest. Pist. p. 4. quest. 140. limit. 9. n. 58. & seqq. quia hòc casu magis allegatur legis prohibitio, quam allegantis turpitudò, & non tam allegatur defectus consensus, quam formæ & possibilitatis: ex Baldo Schultes d. l. n. 59. & seqq. qui enim Legi fraudem facit, perinde tenetur, ac si contra legem fecisset. L. adigere 6. §. penult. ff. de jure Patron. nec Lex debet esse Ludibrio seu elusoria c. si Civitas, de sentent. ex communic. lib. 6. sed semper intelligi, ut rebus non verbis imposita videatur c. commissa 35. de Elect. lib. 6.

De
Obje-
cto.

RESOLUTIO V.

Simulatus Contractus fit vel de Persona in personam (a) vel de contractu uno ad alium (b) vel de causa ad causam (c) vel de Contractu unò eòdemq; ad unum Eundemq; (d) vel de re ad rem (e) vel de tempore ad tempus (f) vel de Qualitate ad Qualitatem (g).

(a) Qui contractus licitus est & valet, quem & approbavi in resolut. 3. L. acta L. si quis gestum C. plus valere quod agit. L. si quis gestum C. plus valere quod agit L. multum. L. quamvis L. cum propria C. si quis alteri vel sibi; si tamen persona illa subornetur in fraudem legis, contractus ille non valebit. per l. & qui sub imagine 10. de distr. pign.

(b) Si nimirum contractus alius scripturâ consignetur, alius reipsâ ineatur. Et hic distingvendum videtur, utrum uterq; contrahens simularit prætersum contractum, & in alium consenserit, & tunc valebit contractus non quidem simulatus, sed

sed qui verè intentus fuit. *l. cum in venditione 36. l. empt. fides 9. C. d. t. nisi sc. in fraudem legis illa simulatio facta, ut in c. illo vos 4. X. de pign. c. ad nostram 5. X. de empt. an verò unus alium contractum intendat, alter non: Et eò casu nihil agetur, quia iste contractus in neutro propter alterutrius consensum in utroq; deficientem de Jure subsistet. l. final. C. plus valere quod agitur.*

(c) Si videlicet ob causam unam initus contractus dicatur, qui ob aliam causam celebratus est. *L. ubi ita ff. de donat. caus. mort.* In qua *l. donatio mortis causà facta, ut nullò casu revocetur*, perinde habetur atque alia quævis inter Vivos Donatio, atque proinde contractum hunc simulatum valere non improbo. *Augustin. Berojus Consil. 170. num. 10. volum. 1. & Consil. 147. num. 28. volum. 2. Cothman. d. Consil. num. 67.* Sed ut fatear quod res est, videtur hoc Exemplum ad præcedentem classem referri posse, si contractus unus contrahatur pro alio. Convenientius est exemplum, si donare me dicam ob benè merita, cum tamen sit donatio merè gratuita, quod exemplum habet *Berojus d. Consil. 147. num. 28. vol. 2.* vel si venditio fieri dicatur ob pecuniæ defectum, cum tamen ob aliam causam fiat. Et in hâc specie omninò vera causa potiùs attendenda, quàm simulata, & ex hâc judicandum, an contractus valeat, an non?

(d) quem Doctores Nostri dicunt simulationem de seipso, item simulationem nihil agentium, & quem Ego ut invalidum, & irritum rejicio, puta si contractus aliquis apparenter ineatur, & interim tamen tacitè conveniat Contrahens, ne contractus existenter subsistet & valeat. *Castrens. Consil. 58. num. 2. part. 2. Augustin. Beroj. Consil. 166. num. 2. & Consil. 169. num. 24. & Consil. 170. num. 4. volum. 1. & Consil. 147. num. 28. & 29. & 33. volum. 2.* quam simulationem verè ac propriè simulationem esse dicunt *Berojus d. Consil. 147. num. 29. Tuschus d. conclus. 257. num. 13. Card. Mantica d. t. 35. num. 2. Cothman. d. l. n. 69. & alii,* quibus verbis si hoc vellent, nomen simulationis generale huic speciei per excellentiam competere, equidem non repugnarem: sed si hoc velint, reliquos sive modos sive species simulationis

B

impro-

impropriè ita dici, sicut hoc nonnulli volunt & præcipuè *Berojus d. n. 29.* ubi exindè infert, prohibità simulatione per statutum simpliciter, in dubiò tantùm hanc prohibitam intelligi, in eò Iphis non possem assentiri, cùm omninò definitio simulationis & cæteris competat: Sed hæc est species potissima, quare nec illud consuetarium Beroio simpliciter concesserim.

(e) E. G. si rem Ecclesiæ velut tuam vendas *Jacob. Mandellus Consil. 9. num. 3.* vel si unum substantiale Contractus pro aliò substituatur simulatè v. g. pro re donatâ aliud; Vel pro preciò in paratâ pecuniâ promittatur nomen in rei veritate & sic deinceps,

(f) ut si spe futuræ numerationis dicam, me accepisse, quod post accepturus sim. *L. in Contract. C. de non numerat. pecun.* Item si purè & simpliciter promittam vel obligem, quod in diem, aut sub conditione tacitè promiserim, & contrà. *Augustin. Berojus Consil. 147. num. 28. volum. 2. & Consil. 210. num. 10. volum. 3.* Item si conveniat, ut modicò tantùm tempore duret *l. 4. §. si ab ignotò ibi Accurs. verb. imaginaria ff. de manumission. Augustin. Beroj. Consil. 170. num. 4. volum. 1.* Item si ante delictum dicas venditum, quod post crimen perpetratum vendideris. *Jacob. Mandel. dict. Consil. 9. num. 3. Cothman. d. Conf. 18. num. 76.* Eadem ratio loci, si quod hîc celebratum factum esse dicitur Lipsiæ.

(g) *L. per diversas C. Mandati Augustin. Beroj. Consil. 210. n. 10. volum. 3. Cothman. d. Conf. 18. num. 77.* quamvis dici queat hanc simulationis speciem sub præcedentibus intelligi posse.

RESOLUTIO VI.

De
proba
tionibus.

Simulatus Contractus non sufficit ut allegetur, (a) quia non præsumitur, (b) sed necesse est, ut probetur (c)

(a) agens enim ad detegendam simulationem contractus, debet exprimere causam simulationis, aliàs non potest obtinere *Trentacinqv. d. resol. 1. num. 3. Mascard. de probat. vol. 1. concl. 449. num. 2. Tuschus Conclus. 258, num. 1.* imò species simulationis

lationis debet exprimi ab Eô, qui allegat simulationem, *Tiraq. de utroq; retractu* §. 14. n. 59. *Mascard. d. concl. 449. num. 6. Tusch. d. l. num. 2. § 10. Trentacing. d. l.* Cur autem in specie causa & species simulationis alleganda sit, hæc est ratio, ut intentio allegantis reddatur certa & Adversarius etiam reddatur certus, qui aliàs ignoraret, quid sibi vellet simulationis allegatio. *Trentacing. d. l. Mascard. concl. 449. n. 2.* quod autem non sufficiat allegatio, hæc est ratio potissima, quòd nulla præsumatur simulatio, *Menoch. lib. 3. præsumpt. 122. n. 2. § lib. 2. conf. 109.* sed probari debeat ab Eô, qui hanc allegat, sive agendô, sive excipiendo, sive replicandô &c. allegetur. *Mantica d. tit. 35. n. 5. Mozz. d. l. n. 47. Tusch. dict. concl. 258. num. 10.* ubi tamen si dolus concurrat, distingvit inter allegationem factam à Reô vel Actore.

(b) Non autem per imaginarias hominis præsumptiones, ut per textum in *l. si mulier in princip. ff. rer. amotar.* nititur probare *Tuschus Conclus. 59. nam. 14. § 15. Mozz. d. l. num. 47. § seq.*

(c) Et ut manifestè probetur, præsertim si in fraudem alterius simulatio commissa per *l. sed si maritus. 14. §. fin. ff. qui § 2 quibus manumis. l. patronum 6. ff. de probat.* Probatur autem simulatus contractus

I. Testibus, qui interfuerunt actui, aut extrajudicalem confessionem audiverunt, & illud plenam meretur probationem E. G. Si Testes deponant, quod fuerint præsentés, quod viderint & intellexerint partes dicentes voluisse facere contractum simulatum *Bald. in l. 1. n. 6. C. plus valere &c. § conf. 299. n. 2. lib. 4. Mascard. Conclus. 446. num. 13. § Conclus. 260. num. 28. § 32.* quamvis autem *Gl. ad Nov. 73. quæ est tit. ipsi 3. collationis sextæ §. si verò tale 3. in voce cum jurejurando.* Quatuor testes requirat, communiter tamen hæc *Glosf.* videtur reprobata, quia simulationem allegans, nihil directo allegat contra Instrumentum, sed fatetur ita fuisse confectum Instrumentum, & quidem consentientibus partibus, sed eas aliud intendisse *Tiraq. d. §. 1. gl. 14. num. 57. Mascard. de probat. Concl. 448. num. 2. Tuschus concl. 263. num. 10. lit. C. Trentacing. d. ref num. 10.* quod si verò per Testes probetur extrajudicialis partium confessio, hæc semiplenam faceret probationem. *Mantica d. tit. 35. in fin.*

II. **Vel Scripturâ & Instrumentis**, in quibus tenor, conditiones & pacta simulati contractus sunt descripta & comprehensa, adeò si & causa & modus simulationis exprimatur: quæ instrumenta indigitantur Neben reces, vel Reversalia *Coler. de process. execut. lib. 1. cap. 10. num. 233.* quomodo autem aliàs per Instrumentum prius probetur, *vid. Afflict. d. l. num. 57.*

III. **Vel Conjecturis**, quæ enim de sui naturâ non possunt facile ac liquidò probari, vel difficilis sunt probationis, probantur per præsumptiones, vel conjecturas verisimiles seu per indicia *l. non omnes 5. §. à barbaris 6. ff. de re militari. Mascard. Conclus. 438. num. 7. Tuschus Conclus. 260. num. 1. & Conclus. 263. num. 2. Mozz. de Divis Contract. num. 51. Mantic. lib. 13. tit. 35. de tacit. & ambig. convent. num. 9.* hîc tamen potissimùm requiritur

1. Ut istæ Conjecturæ ab initio facti concludant, & non ex post factò & intervallò, quia ex Eis, quæ post factum geruntur, non inducitur Conjectura simulationis. *Tusch. Conclus. 259. num. 19. & 20.*

2. Ut istæ conjecturæ sint Legis, non hominis *Trentacinqu. d. l. num. 11.* ubi tamen per Legem etiam firma ratio Legis intelligenda venit. Addunt 3. etiam duas conjecturas esse debere cum succedant in locum testium, sed regulariter duos testes requiri & sufficere. *vid. Mascard. concl. 447. n. 2.* Sed melius id arbitrio judicis committunt. *Cæpoll. in tract. suo de Contractibus Emptionum & Location. cum pactò de retrovendendò simulatis num. 108. Covar. l. 2. var. resol. c. 8. n. 4.* sicut etiam Judicis arbitrium in eò versatur, quantum cuilibet præsumptioni sit credendum. *vid. Menoch. lib. 1. Arbitrar. Jud. quest. casu 13. n. 4. quem ut utriusq; Juris peritissimum laudat Mascard. Conclus. 442. num. 7. Afflict. decis. 50. num. 19. Trentacinqu. d. resolut. num. 11.* Conjecturas, per quas simulatio probetur, multas congescit *Cæpolla in d. tractat.* ubi tamen de certa specie potissimùm agit, quas autem generalius pertractat *Tuschus, Mantica, Menoch. Mascard.* è quibus primarias seligam.

Et quidem cum omnia ferè dependeant à tempore, prima sit

Modicum

Modicum tempus durationis Contractus l. 4. §. si ab ignotō ff. de manumission. & l. pleriq; 33. ff. de Ritu nupt. ut quando conventum, ut Venditio modicō tantū tempore duret, quæ tamen fieri solet, ut res perpetuō sit penes Emptorem, & pignoratio fieri soleat, ut res tam diu maneat, quousq; debitum solvatur L. si rem 9. §. omnis 3. ff. de pignorat. act. Cæpoll. in allegat. tractat. num. 79. Mascard. Conclus. 438. num. 14. & seqq. Sed si non possit probari hoc esse conventum, sed partes post modicum intervallum recedant à venditione, quæritur, an hæc sit præsumptio simulati contractus? Et id videtur dicendum arg. d. l. 33. de ritu nuptiar. Et videtur hoc velle Tiraq. d. Glosf. 14. num. 37. Sed rectè Cæpoll. d. tr. n. 79. in fine, & Menoch. de præsumpt. 122. n. 114. hanc solam præsumptionem non sufficere & parum stringere tradunt, sed benè junctam cum aliis; Et ideo in Judicis arbitriō relinquitur, quantum tempus hæc præsumptio requirat Tiraqvell. d. l. n. 38.

2. Si venditor, vel alienator, potissimū verō donator remansit in possessione rei venditæ vel donatæ. E. G. quando de naturā Contractus est, ut fiat alienatio, & is, qui dicitur alienasse, in possessione permansit, non præsumitur verè voluisse alienare, sed fictè & simulatè arg. l. sicut 8. §. supervacuum. 7. & ibi Br. Bl. ff. quibus mod. pign. vel hypothec. solv. l. Si is qui bonis 91. ff. adquirend. hered. Mantica: tit. 36. Masc. Conclus. 446. num. 12. & Conclus. 439. à num. 1. usq; ad 4. Mozz. d. tract. num. 60. Tusch. Conclus. 260. num. 5. & seq. & Conclus. 261. fermè per tot. Sed hanc conjecturam multis modis restringunt Cæpoll. d. tr. num. 77. Mascard. Concl. 439. & Conclus. 559. Mantica d. l. Menoch. l. 2. Arb. quæst. casu 39. unde Mascardum multa desumpsisse existimat Menoch. d. præsumt. 122. num. 111. potiores limitationes sunt hæc, nisi Instrumentum tantū promissionis, non traditionis mentionem faciat, aut nisi appareat de titulō, quō alienator possessionem continet, aut ex parte possidentis occurrat error, vel possessio fuerit brevior & sim. Ideoq; temporis determinationem judicis arbitriō relinquit Mantica d. n. 18.

3. Si conventum, ut quando cunq; Venditor restitutus est precium, recipiat rem. Mascard. Conclus. 440. Cæpoll. dict.

tract. num. 58. Quia restitutio magis accedit ad mutuum, quam ad venditionem, cum restitutio non præsupponat venditionem, sicuti pactum de revendendò *Menoch. de præsumpt. n. 78.*

4. Si pacto de retrovendendò additum certum tempus, ut post certum temporis spatium liceret demum reemere per *c. ad nostram 5. X. de empt. c. illo vos X. de pig. Cæpoll. allegat. tractat. num. 49. Mascard. Conclus. 44i. Tusch. Ccncl. 262.* sed hæc sola præsumptio non sufficiet, *Menoch. d. præsumpt. 122. n. 70.* Sed bene aliis juncta *Menoch. d. l.*

5. Si illi pacto accedat modicitas precii, qualis autem modicitas precii hæc esse debeat? & an his duabus conjecturis sufficienter probetur simulatio? duplex hinc ventilatur Quæstio; quod primam attinet, magnam precii modicitatem fraudulentam arguere venditionem, statuimus cum *Tuschò Conclus. 262. num. 44. Mascard. conclus. 447. n. 7.* Sit Exempl. quando res magni precii pro precio vilissimo, puta res valens mille detur pro centum vel ducentis. Quod verò alteram attinet, magna adhuc est circa hanc quæstionem inter Dd. Juris Controversia, nam aliqui sunt, qui tenent, quod ista duo non sufficiant ad probandum contractus simulationem, scil. pactum de retrovendendò, & modicum precium, nisi concurrat consuetudo fœnerandi, vel una aliqua præsumptio. *Berojus Consil. 169. num. 17. & Dd. plures allegati a Masc. d. concl. 447. num. 1.* quam opinionem communem dicunt. Alii tenent, quod hæc duo tantùm priora sufficiant, quam magis communem appellant. *Natta Consil. 198. volum: 1. num. 8. & alii enumerati à Mascard. d. l. n. 2.* Alii controversiam hanc arbitrio Judicis, vel boni alicujus viri relinquendam putant, quos enumerat *Menoch. d. l. n. 40.* Puto autem, distingvendum esse inter modicitatem precii nimiam, & mediocrem; In priori hæc duo tantùm sufficere puto ad probandam simulationem, in posteriori autem tria debere concurrere, nimirum ultra pactum de retrovendendò, & modicitatem precii, quod sit solitus fœnerari, vel aliqua conjectura interveniat. *Tuschus Conclus. 262. num. 9. & seq. Mozz. num 58. & seq. Cæpoll. num. 18 & num. 109. Mascard. Conclus. 447. num. 6. & 9.* Sed & hæc ratione omne arbitrium Judicis non excludetur; Nam quærendo ulterius aliquis curiosior

fior instet, quanta modicitas, vel quantus excessus esse debeat? quod sanè certa determinatione nemo facilè definierit, sed cogimur tandem aliquid arbitrio iudicis deferre. *Menoch. lib. 2. A. q. casu 217. num. 5. & Mozz. d. l. n. 59.* Et iudicis etiam erit attendere personam Emptoris & originem contractus, nam simulatione etiam non facilè præsumitur in simplici Rustico, aut muliercula, nec in datione in solutum. *Menoch. d. præsumpt. n. 40. Afflict. d. l. n. 52. Editionis de Anno 1560.*

6. Clandestinitas; Contractus enim venditionis cum pacto de retrovendendo clam & occultè, & non palàm celebratus, fraudis simulationem arguit. *Clement. ex gravi vers. catearum de usur. L. fin ff. de rit. Nuptiar. L. non existimo 54. ff. de Administ. Tutorum L. ab Anastas. C. mandat. Mascard. Conclus. 445. Tusch. Conclus. 262. num. 18.* præsertim si fiat per interpositam personam *L. non existimo ff. de administ. Tutor. Mantic. tit. 35. num. 19. & tit. 38. num. 26. Cæpoll. num. 66.* sed si alia in proposito sit causa clandestinitatis, præsumptio hæc cessabit, *Cæpoll. d. l. n. 67.*

7. Si bona vendita postea pro minori pensione sint locata. E. G. si summa vera venditorum bonorum adscendat ad modios triginta frumenti, & tamen locata fuerunt venditori pro pensione quatuordecim modiorum vel pro tantâ pecuniâ tantùm *Mascard. Conclus. 442. Cæpoll. num. 32.* quia si esset vera locatio, & res locata verè fuisset ipsius Emptoris, non est verosimile, quod voluisset locare tam tenui pensione *arg. l. cum de indebito 25. pr. vers. fin. verò ff. de probat.*

8. Quando quis alienat meliora, & inutilia retinet, vel emit, ut si quis vendit rem majorem & sibi caram, vel rem sine quâ vivere vix potest. *Afflict. d. l. n. 37. Mascard. Conclus. 443. Tusch. Conclus. 260. num. 24.*

9. Si Res pro parte vendita sit, & pro parte donata, quando scilicet non subest justa causa donationis *argum. L. per diversas, cum ibi notat. per Glos. & Dd. C. Mandat. Mascard. Conclus. 444. Tusch. Conclus. 260. num. 21. & 22. Menoch. d. l. n. 61.*

10. Si consuevit aliquis ita contrahere. *L. non omnes 5. S. à Barbaris 6. ff. de re militari l. qui semisses 13. S. 1. ff. de Usuris l. vel*

vel Univerforum 12. ff. pignorat. action. c. semel malus. X. de Reg. Jur. in 6. Mozz. num. 54. Cæpoll. num. 70. Mascard. Conclus. 445. num. 5. argumentô desumptô à commniter solitis & contingentibus, quod argumentum est probabile, frequens ac utilissimum. Everb. in suis locis Legalibus in locô ab usitatô & à solitis. Tusch. Conclus. 260. num. 27.

11. Ex qualitate personarum v. g. si sint Conjunctæ L. Data 27. c. de Donation. l. penult. c. de bonis, qua lib. ut si maritus nomine suæ Uxoris emat, & possessio rei venditæ tradatur marito; vel si donatio facta sit in potentiorem, quô casu videtur facta in fraudem causâ mutandi iudicium, ut durior adversarius constituatur Br. in l. 1. in princ. ff. de ali. Jud. mut. caus. fact. Mantic. tit. 35. num. 20. & tit. 38. num. 25. quæ autem conjectura tunc locum habet, quando donatio facta est omnium bonorum, vel majoris partis, vel aliæ Conjecturæ concurrunt, quia conjunctio sanguinis sæpè etiam ad donandum inducit. L. si servus communis ff. de Donat. int. Vir: & uxor: & L. si quis posthac. §. 1. c. de bon. proscript. Mascard. Conclus. 446. Tusch. Conclus. 260. num. 18. 19. 20. & num. 31.

12. Quando clausulæ sunt insolitæ, quæ scil. fiunt ad occultandam simulationem, Tusch. Conclus. 262. num. 24. Menoch. d. presump. 122. num. 67. quod non de unâ clausulâ, sed pluribus, imò necessariis, de pactô item insolitô est intelligendum, Tusch. dict. Conclus. num. 25. 26. & seq. ut si aliquis paciscatur cum Emptore, quô debeat reddi aliquid ultra precium c. ad nostram de Emption. & vendit. simile Exemplum allegat Cæpoll. num. 48. presump. 9. Si locatur domus vendita ipsi venditori pro fructu vini vel olei, aut alterius fructus, qui non percipiuntur ex Eâ: cum tales fructus præstari non soleant ex domibus. Item si in instrumentô apponantur ista verba, Vendidit & tradidit vere & non in fraudem usurarum, Cæpoll. d. l. Mozz. num. 62. Cothm. dict. volum. 1. respons. 18. num. 50. Mantica alleg. tract. tit. 35. num. 13. & seq. vel vendidit Titio verè & non fictè. Afflict. d. l. n. 25. Sed tamen hæc præsumptio non sufficiet sola Mantic. d. l. n. 18.

13. Quando Contractus pignoris præcesit venditionem, ut si Contrahentes tempore venditionis, vel ante dixerint vel tracta-

tractarint, quod non esset Venditio, sed pignus: tunc enim Venditio statim secuta præsumitur simulata, idemq; præsumitur, si venditio fiat ex intervallo, sed vendens prius dixerat, & protestatus fuerat, quod non intendebat, quod esset venditio, & si contingeret, Ipsum in futurum vendere, intendebat, quod esset pignus. *Capoll. num. 15. Menoch. d. præsumpt. 122. n. 47. & seq.*

14. Quando pacta nimis claudicant, non minimum enim simulationis argumentum hoc est, si vel contractus *Ipsi l. 3. in fin. Mandati*, vel Contractibus adjectæ pactiones ex unâ parte claudicent ac vacillent. *Coth. volum. 1. respons. 18. num. 46. & 47. ex Beroiô Consil. 165. num. 1. volum. 1. Menoch, d. l. n. 79.* ut quando omnia pacta apponuntur in favorem Creditoris, & nullum esset, quod apponeretur in favorem Creditoris *Capoll. num. 60.*

15. Quando contractus celebratur in loco, in quo consuevit fieri fraus, utputa, si clandestinè aut in loco suspecto fiat contractus. *Clement. ex gravi vers. ceterum de usur. Mozz. num. 53.*

16. In specie contractus simulatus de persona in personam præsumitur ex tractatu habito: Item, si alii res tradatur, & alius rem possideat, ac fructus percipiat, qua de re *Menoch. lib. 3. præsumpt. 125.* per totum: quando autem alienatio in fraudem fisci facta detegatur vid. *idem Menoch. lib. 3. præsumpt. 124. per totam & Mantica lib. 14. de tæc. & amb. convent. tit. 39. per totum.*

De
Effe-
ctu.

RESOLUTIO VII.

Pertractatis aliquò modò simulationis conjecturis, effectus ipsius considerabo. Et quidem ex simulatò contractu si fiat traditio, non transit dominium (a) imò ne possessio quidem (b), sed oritur interdum actio doli, si in fraudem tertii adhibitus vel imploratio officio Judicis (c) regulariter verò Exceptio (d)

C

(a) hoc

(a) hoc per l. nuda 55. de Empt. trad. Afflictus d. tr. n. 53. inf. Trentacinqu. d. res un. n. 3. Tusch. concl. 265. cujus ratio, quia quod non subsistit, eatenus non potest habere effectum positivum, & quia nec possessio transit per lit. seq.

(b) ita Baldus in S. callidis de prohibita feudi alienat. n. 3. Afflict. d. n. 53. Trentac. d. l. sed hoc tamen intelligendum, si nuda est simulatio, nam si aliud quod actum, omnino videtur possessio transferri ex rei veritate arg. l. 1. S. si Vir. 4. ff. de acquirenda possess. Br. in l. emptor 12. ff. de Aquapluv. arc. Bl. d. l. Berojus cons. 169. num. 24. vol. 1.

(c) quatenus simulatus, eatenus non agitur ex eo, sed quatenus verè aliud contrahitur, eatenus verè oritur actio, si modo utiliter aliud gestum. vide Br. d. l. Donell. ad Rubr. Cod. plus valer. Imploratio officio interdum dabitur, cui tamen Tuschus annorum 30. spatium præfinit dicta lit. C. Concl. 267.

(d) Hanc perpetuam statuo cum Ruino cons. 130. in pr. vol. 1. Trentacinqu. d. tit. desimul. resol. un. in fine. Afflict. d. l. n. 67. quâ Reus promissionem factam esse simulatè ob causam non veram, & ita aliud actum esse, aliud simulatè conceptum dicit argum. L. 1. C. plus valere quod agitur, quàm quod simulatè. Sed an Exceptio hæc etiam contra Instrumentum liquidum opponi poterit? Hoc affirm. Afflict. d. l. n. 69. quod tamen non aliter admittendum, quàm si in continenti probari possit vid. Trentac. d. l. n. 9. Dominus Carpzovv. p. 1. Juris-pr. Const. 3. definit. 19. & lib. 2. Respons. 89. n. 19. vel ex præsumptionibus statim appareat. Col. de proc. exec. p. 1. c. 10. num. 233. secus si latiore indaginem requirat Col. d. l. n. 236. Sane, si hæc exceptio in primâ instantiâ omisa, ea in secundâ opponi potest ob beneficium legis per hanc C. de Temp. appell. Afflict. d. l. n. 70.

RESOLUTIO VIII.

De ex-
clusio-
ne si
mula-
tionis
Simulatio excluditur vel allegari non potest, si Juramentum est additum (a) non item, si simpliciter renunciatum, (b) excluditur etiam contrariis præsumptionibus (c)

(a) Distinctionem hic adhibent, aut enim 1. Juramentum
sim-


simpliciter est appositum super contractu simulatō, & tunc as-
sertionem procedere nolunt, cum Inramentum non inueniat
fundamentum, in quō pedem figat. *Coler. p. 1. de proc. exec. c. 10.*
n. 233. Afflict. d. l. n. 63. Ernest. Cothman d. Consil. 18. n. 89. Set-
serus de Juram. lib. 2. cap. 17. num. 6. & Trentacinqu. d. l. n. 6. a
liq. ab his citati. aut 2. cum jurat aliquis omnia esse vera, & se
nolle venire contra contractum, quo casu si partes intelligant,
quod agant, & id quod promissum est, non sit nutritivum pec-
cati ut loquuntur, Dd. communiter statuunt non posse opponi
simulationis tcept. Dd. plures accumulat *Cothman. d. cons. 18.*
num. 49. Trentacinqu. d. l. n. 7. Afflict. n. 63. Vazq. l. 3. controu. 47.
num. 3. Coler. de process. exec. p. 1. c. 10. n. 235. ubi hoc pro singu-
lari cautela notat. *Mantic. de restit. ca. 119. num. 3.* Quamvis au-
tem hæc ita communiter recepta sint, non tamen piaculum es-
set, à priori distinctionis membro recedere, ut sensit alicubi *Bl.*
allegatus ab Afflict. d. n. 63. præsertim cum in dubio ea sententia
tenenda sit, quæ juris jurandi religionem integram conservat.
Coler. d. cap. 10. n. 215. Hartm. Pist. lib. 4. quæst. 6. n. 73.

(b) Sicut enim contractus principalis est simulatus, ita &
renunciatio Exceptionis simulationis censetur simulata, & per
consequens nulla. *Dd. communiter in l. nemo potest ff. de Leg. 1.*
quam sententiam ferme omnes communem, imò magis com-
munem appellant, & statuunt, quod per pactum expressum in
continenti appositum non valeat renunciatio hujus exceptio-
nis, cum eadem facilitate renunciatur, quâ quis ad simulatē
contrahendum inducatur. *Ripa in d. l. nemo potest num. 68. Tren-*
tacinqu. d. resolut. & lib. num. 4. Tuschus Conclus. 266 num. 39.
Capoll. num. 84. Afflictus d. l. n. 64. sed si ex intervallō secuta sit
renunciatio, statuunt rectissimè Dd. eam valere.

(c) Contrariæ conjecturæ simulationem purgant, sicut
enim præsumptio ex conditione personarum oritur, ita etiam
excluditur *l. cum hi 8. §. sed & personarum 11. ff. de Transact.* du-
ctō argumentō ab oppositis, contrariorum enim contraria sunt
consequentia, E. G. si contractus celebratur ab Eō, qui est pro-
batae vitæ, timoratae conscientiae, & optimæ famæ, contractus
non præsumitur fœneraticius, nam consuetudo non fœneran-
di

di excludit fœnoris præsumptionem. Bl. in L. qui semisses. §. *quæsitum ff. de usur.* sic à Clericis, Presbyteris & Canonicis omnis suspicio fœnoris excluditur, quia de illis propter vitæ honestatem de hœc crimine non est suspicandum *rot. tit. de vita & honest. Cleric. Mantic. tit. 36. num. 17. & lib. 8. tit. 25. n. 1. & seqq.* Amoliuntur etiam suspicionem fraudis, si contractus palam celebratus, in præsentia amicorum judiciali autoritate confirmatus, si confessio ex intervallo secuta &c. de quibus *Cothm. d. conf. 18. num. 80. Tuschus conclus. 268.* Sed hæ conjecturæ quæ contra simulationem producuntur, fortius stringunt, si non sequantur contractum. *Mantica de tac. & ambig. convent. lib. 8. cap. ult. num. ult.* quia ex tractatu præcedenti magis declaratur, purgatur & excluditur contractus simulatus, quàm ex subsequenti *Mantic. tit. 35. num. 18.* Sed si hæ præsumptiones excludere debeant suspicionem simulationis, oportet eas esse urgentiores quam contrariæ sunt, aut certæ pares non leviores *Mant. d. tit. 36. n. 17.* Et tantum pro temporis brevitate & negotiorum varietate de hæc materiâ dixisse sufficiat & propter hoc

Mi DEUS sacras mea lingua laudes
ET TIBI acceptam referat Salutem
Mens mea, & TE nocte canat dieq;
Omne per ævum.



00 A 6456

ULB Halle

3


002 929 244



R

Worm







B.I.G.

Farbkarte #13

Black, 3/Color, White, Magenta, Red, Yellow, Green, Cyan, Blue

^{3.}
 LES INAUGURALES
 RIDICÆ
Super
 ERIA SI
 DRUM CON-
 CTUUM,
*lere quod agitur, quàm quod
 de manumis. l. nudaff. de Contrab.
 mulata Nuptieff. de rit. Nupt. l. Emptor.
 pti fides C. de Contrab. Empt. c. ad no-
 lo vos 4. X. de pign. ac similibus.*
Quas,
 ANTE CLEMENTIA,
ES Auctoritate
lissimi fctorum Ordinis
e Viadrina
 PRÆSIDIO
ssimi atq; Consultissimi VIRI
 RUNNEMANNI, J. U.
 ltatis Juridicæ p. t. DECANI,
 ac Compatriis, sui ætatem
 netandi.
 Doctoratûs in utroq; Jure so-
 blico Eruditorum Examini
 idas subjicit
 COLONIENS. MARCHIC.
 est Coloniae Advocatus &
 nujus Syndicus.
 boris ante & pomeridianis
 XXVII. Apr.
 CHI, Academ. Typogr.
 DC. LII.